

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6764

Autre(s) référence(s) : Round 824

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1156-1158]

Lieu d'émission : Domfront

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation des biens et des droits de l'abbaye de Savigny.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° LXXX, t. 1, p. 184-188.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationery Office, 1899, n° 824.

Dissertation critique

« 1156-1158 ? » : cet texte provient « du cartulaire de savigny, où desdates de l'incarnation et des années de règne ont été plusieurs fois intercalées dans les actes de Henri II » (sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 1, p. 183).

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, [et] comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, justiciis, baillivis, vicecomitibus, prepositis, ministris et omnibus fidelibus suis totius terre sue, salutem.

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Notum sit vobis, presentibus atque futuris, quod ego, pro amore Dei et salute anime mee et anime patris ac matris mee et uxoris mee et liberorum ac fratrum meorum et omnium antecessorum ac successorum nostrorum atque omnium fidelium christianorum, concessi ecclesie Sancte Trinitatis de Savigneio et Richardo abbatii et monachis ibidem Deo servientibus, in perpetuam elemosinam, omnes terras omnesque elemosinas atque quietantias quas antecessores mei et homines eorum donaverant eidem ecclesie atque concesserant. Et eandem ecclesiam cum omnibus rebus ad ipsam pertinentibus assumpsi in manu et custodia ac defensione mea, sicut propriam abbatiam

et dominicam elemosinam meam. Et ut omnes possessiones ad eandem ecclesiam pertinentes firmiter ac stabiliter et absque omni dubitatione in perpetuum confirmarentur et in presenti tempore atque futuro libere et quiete ac secure ab eadem ecclesia tenerentur ac possiderentur, volui ut in hac presenti carta nominatim ascriberentur atque confirmarentur, et sic ad noticiam successorum nostrorum et ad utilitatem possidentium salve et integre in perpetuum conservarentur. Concessi itaque forestam Savigneii, sicut cingitur tribus aquis, Camba scilicet et Chambesna ac Nigra aqua, cum omnibus pertinentiis suis, que foresta est prima possessio ejusdem ecclesie, unde et ipse locus nomen accepit ut Savigneum vocaretur ; quam forestam possidet eadem ecclesia ex dono Radulfi de Filgeriis et Henrici filii ejus, et ex concessione avi mei Henrici regis Anglie ; et dimidium molendinum de Romagneio, cum masura et terra molendinarii et aliis pertinentiis suis ; et in parrochia Savigneii terram que ap[p]ellatur masura Bernerii de Coumailleria cum pertinentiis suis. Ex dono Henrici regis, juxta Abrincas, vineam de Campo Botri, cum pertinentiis suis, et in foresta de Passeio, locum de Sancto Alveio et locum de Domno Petro, cum pertinentiis eorum ; et juxta forestam locum de Fraisnusia et terram de Bello Campo, cum pertinentiis suis, et in eadem foresta ligna ad edificia et focos eorumdem locorum et pasturam animalibus eorum et passionem et pasnagium porcis ecclesie et monachorum ; et in aliis forestis regis passionem et pasnagium similiter porcis ipsorum ; et in tota terra ipsius regis quietanciam ab omni consuetudine omnibus rebus ejusdem ecclesie et monachorum. Ex dono meo, in predicta foresta de Passeio, totam terram que est inter ductum de Gulis et ductum Garnerii, et inter viam de Gorram et haiam de Comont, et totam terram que est inter Fraisnusiam et eandem forestam, cum pertinentiis earum. Ex dono Roberti filii Martini et Mathildis uxoris ejus, et ex concessione Ricardi comitis Cestrie, et Stephani comitis Moretonii, terram de Venjusis, cum molendino et molta ejusdem ville et aliis pertinentiis suis. Ex dono Guillelmi de Sancto Claro et Haimonis fratris ejus, et concessione Stephani comitis Moretonii et Ricardi Baiocarum episcopi, sextam partem de Taon, cum omnibus pertinentiis suis, tam secularibus quam ecclesiasticis rebus, et terram de Villers, cum ecclesia ejusdem ville et decima, et cum molendino et molta totius terre que fuit Ricardi de Villers, et aliis pertinentiis suis. Ex dono Gaufridi camerarii de Clintonae et Gaufridi filii ejus, molendinum de Breneia, cum masura juxta molendinum et aliis pertinentiis suis. Ex dono Roberti filii Ernesii, et concessione Roberti comitis de Glocestria, terram de Basenvilla cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti de Appenticio, et concessione Henrici Filgeriarum et Stephani comitis Moretonii, et Turgisii Abrincarum episcopi, ecclesiam de Appenticiis cum cimiterio et terra elemosine ipsius ecclesie et decima totius parrochie et aliis pertinentiis suis. Ex dono Roberti de Tostis et concessione Ricardi episcopi et capituli Baiocarum, terram de Escuris cum pertinentiis suis. Ex dono Radulfi Columbe et concessione Ricardi Baiocarum episcopi et Odonis de Agraneio et Rogeri de Matnem, dimidiam ecclesiam de Karun cum pertinentiis suis. Ex dono Guillelmi Patrici et concessione Ricardi Baiocarum episcopi, in Landisac medietariam de Nuce cum pertinentiis suis, et molendinum et ecclesiam cum molta et decima ipsius parrochie et aliis pertinentiis suis. Ex dono ipsius et concessione Stephani comitis Moretonii, in Proceio, medietariam de Haiis cum pertinentiis suis. Ex dono Guillelmi de Ruperia et concessione Guillelmi comitis de Pontif, terram de Wimunt cum pertinentiis suis. Ex dono Rogerii fratris ejus et concessione Gisleberti de Abrincis et Radulfi Taisson, terram de Gornaio cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti de Caligneio et concessione Ranulfi comitis Cestrie, terram de Fontibus et terram de Cawaneria cum pertinentiis earum. Ex dono Rannulfi de Meset et concessione Rannulfi de Vileriis et Ricardi Baiocarum episcopi, terram de Fraisneia cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti filii Pagani et concessione Henrici de Filgeriis, terram de Romaineio cum pertinentiis suis. Ex dono Ricardi Bacon et concessione Ranulfi comitis Cestrie, terram de Plena Silva cum pertinentiis suis. Ex dono Radulfi de Vireio et generorum ejus Guillelmi et Oliveri et hominum ipsorum et concessione Jordani filii Alani et Alani filii ejus, elemosinas de Terra Guasta cum pertinentiis suis. Ex dono Rogerii de Vireio et Jacobi et Petri de Sancto Hylario Landam Gefreit cum pertinentiis suis. Ex dono Eudonis de Logis et concessione Rogerii de Vireio et Jacobi et Petri de Sancto Hylario, terram de Logis cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti Marmiun et concessione Galeranni comitis de Mellent et Ricardi Baiocarum episcopi, terram de Barbereio et nemus et molendinum et ecclesiam, et quicquid idem Robertus habebat in eadem villa, et terram de Jorkes et molendinum cum pertinentiis suis. Ex dono Mathei de Praeriis et Roberti fratris ejus et Petrose matris eorum, et concessione Rannulfi comitis Cestrie, terram de Venjons cum pertinentiis suis. Ex dono Radulfi de Rovrecestria et concessione Ricardi Baiocarum episcopi, terram de Sancta Maria Lernost cum pertinentiis suis. Ex dono Jacobi de Sancto Hylario, in Norfouc, terram de Dalingis cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti comitis de Ferreriis, in Norhantonesire, terram de Petri cum pertinentiis suis. Ex dono Hasculfi de Soligneio, terram de Vacua Valle cum pertinentiis suis. Ex dono Guillelmi de Castanis et Galteri filii Emme et hominum eorum, et concessione Rogeri de Vireio et Philippi de Landavi et Petri de Sancto Hylario, terram de Castanis cum pertinentiis suis. Ex dono Guillelmi de Kernet et Odeline uxoris ejus, et concessione Petri de Sancto Hylario, terram de Mundaigneio

cum pertinentiis suis. Ex dono Oliveri filii Alani et Marie uxoris ejus, et concessione Rannulfi Avenelli, dimidium molendinum de Pasbran et unam masuram in burgo cum pertinentiis suis. Ex dono eorumdem, et concessione Petri de Sancto Hylario, terram de Surda Valle. Ex dono Roberti de Helceio et Gaufridi fratris ejus, et concessione Philippi de Landavi et Ranulfi Avenelli, terram de Helceio cum pertinentiis suis. Ex dono Guillelmi de Ferreris et hominum suorum, et concessione Roberti Avenelli, terram Delbreedoet cum pertinentiis suis. Ex dono Guillelmi camerarii de Tancharvilla, landam de Tor cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti Piscis, et concessione Engerrandi de Veaceo, terram de Veaceo cum pertinentiis suis. Omnes has terras omnesque elemosinas que hic enumerate sunt, et omnes alias quas omnibus justis modis poterunt adquirere, concessi, ut dictum est, ecclesie et monachis Savigneii, liberas et quietas et ab omni servitio et consuetudine absolutas, et ipsam abbatiam et omnes possessiones ad eam pertinentes, ubicunque sint in tota terra mea, sicut dominicas et proprias elemosinas meas. Et ideo volo et precipio ac firmiter constituo ut eadem abbatia et omnes res ad ipsam pertinentes per totam terram meam habeant firmam pacem et perfectam libertatem et omnem quietanciam in mari et in terra, in bosco et in plano, ab omni consuetudine et servitio et exactione, sicut elemosine Deo dedicate pro remissione peccatorum nostrorum et redemptione animarum nostrarum.

Hec autem nostra concessio atque confirmatio facta est anno ab incarnatione Domini M^oC^oL^oVII^o, anno scilicet regni mei Anglie III, ducatus vero Normannie VIII. Quare volo et firmiter precipio quod abbatia predicta de Savigneio et monachi in ea Deo servientes hec omnia predicta que eis rationabiliter data sunt, et ea que in futurum rationabilibus modis Deo propicio poterunt adquirere, habeant et in perpetuam elemosinam cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus et quietaciis suis soluta et quieta de omni theloneo et passagio et pontagio et omni alia consuetudine per totam terram meam bene et in pace et libere et quiete et honorifice teneant.

Testibus : Nigello episcopo Eliensi, et Hilario episcopo Cicestrensi, et Herberto Abrincensi episcopo, et Ernulfo Lexoviensi episcopo, et Thoma cancellario, et Gaufrido et Guillelmo fratribus regis, et comite Raginaldo, et Roberto de Novo Burgo tunc dapifero Normannie, et Ricardo de Humez constabulario, et Ricardo de Luceio, et Jordano Taxone, Manassero Biset dapifero, et Garino Filio Giroldi camerario, et Guillelmo Filio Haimonis, et Petro de Sancto Hylario, et Hasculfo de Soligneio, et Fulcone Paganello, et Guillelmo Avenello, et Hugone Rufo, et Rogero de Milleio, et Henrico de Domno Fronte, et Guillelmo Rufo, et Fulcone Cambiatore.

Apud Danfrontem.